MELETEMATA QUAEDAM DE PELVIBUS MULIEBRIBUS VITIOSIS EARUMQUE IN PARTUM VI, INPRIMIS DE PELVI UBIQUE IUSTO MINORI, UNA CUM OBSERVATIONE CLINICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QVAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET

UNA CUM THESIBUS

DIE XXVIII. MENSIS DECEMBRIS MDCCCLIX

PUBLICE DEFENDET

RUDOLFUS FLEHINGHAUS

GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

BERNH. OEBECKE, DR. MED. ET CHIR.
IOS. BERGHAUSEN, DR. MED. ET CHIR.
CAROL. PELMAN, CAND. MED.

BONNAE

FORMIS CARTHAUSIANIS.

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI CLARISSIMO

HERMANNO FRIDERICO KILIAN

REG. A CONSIL. MED. INTIM., ORD. AQ. RUBB. IV. CL. ET ST. VLADIM III. CL. EQUITI.
MEDICIN. ET CHIRURG. DOCTORI. ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, XENODOCHII OBSTETRICII DIRECTORI, ACADEMIAE CAESAR. LEOPOLDINAE CAROLINAE NATURAE CURIOS., COLLEGII MEDICORUM REGIS ET REGINAE IN HIBERNIA, SOCIET. IMPER. MEDICOR. VINDOBON., SOC. MED. GANDAVI, SOC. NAT. CUR. BRUG., SOC. MED. BELG. ANTVERP. ET MED. CHIR. BRUG., SOC. MED. BORUSS. BEROL., SOC. PHARMACEUT. GUESTPH., SOC. AD PROMOVEND. UNIVERS. NAT. SCIENT. MARBURG., SOC. PHYS. MED. AD RHEN. INFER., SOC. MED. ET NAT. CURIOS. IN MOLDAVIA, SOC. HORT. BATAV. LEID. SOC. PHYS. MED. ERLANC., SOC. NAT. SCRUT. LIPS., SOC. MED. SUECANAE HOLM., SOC. MINERAL. IENENS., SOC. MED. LIPS. SODALI etc.

D. D. D.

DISCIPULUS.

Si disputationem, quae studia mea academica ad finem perductura sit, amore quodam tractandam suscipio, nequaquam alienum esse videtur, me ex tali artis medicae parte illam sumere, quae singulari modo ceteris eiusdem artis disciplinis praestet. Quo quidem honore artem obstetriciam esse ornandam sane haud procul dubio est. Ea enim solum inter affines disciplinas id spectat, ut valetudo prospera atque vita duorum servetur hominum. Praeterea natura ipsa mulierem ita instituit, ut, nisi auxilio atque opera hominum partus confici nequeat. *)

Qua .re factum est, ut inter eos quidem populos, qui maiorem culturae atque exquisitioris morum elegantiae quasi gradum ascenderint, *ars* obstetricia in processu, qui plane sit physiologicus, exstiterit locumque singularem obtinuerit.

---

*) Agitur enim de placenta arte amovenda, cum, ut satis omnibus notum, naturae viribus plerumque tantum usque in vaginam propelli possit.

Consideremus igitur, quae sequuntur:

1) Foetus in utero efformatio, plane physiologicus processus, neque ipsa neque singulis suis actionibus, quae sunt conceptio, graviditas, partus, constitutioni muliebri adversa aut ab ea aliena est.

2) Cuius legis physiologicae in processu supra dicto perspicuae, medicum cum omnibus in casibus, tum maxime recordari oportet, si auxilio singulari eius opus sit in partu, quem ut efficiat mulier, conceptione prima iam inlata condicione, insignibus magnisque viribus praedita enitebatur.

3) Sed cum partus summa eademque gravissima processus illius pars sit, apparet fieri eum et iuste quidem tempore omnino necesse esse.

4) Itaque cum valetudo vitaque matris nec minus foetus servari non possint, nisi foetus expellatur, omnes illas res, quae, quominus partus edatur, prohibere possunt, summa pericula gradatim efficere constat.

5) Quarum omnium difficultatum mechanicae, quae ab ipsa pelvi oriuntur, maxime mihi timendae esse videntur. Cum vis earum in horas crescens foetus matrisque vitae maximum inferat periculum, neque, cum partus inceperit, aliunde auxiium salusque afferri possint, medici, quominus talibus in casibus periculosissimis acerrimas maximeque cruentas adhiberent operationes — sectionem caesaream, cephalotripsin — nunquam abstinebant.

6) Quae cum ita sint, omnino necesse est, talibus in casibus medici auxilium sit promptum atque exactum.

Facillime igitur opportunam posse elabi occasionem et si, ut supra demonstravimus, partus quisque per se ipse sit processus physiologicus nec, si res ita ferant, ancipiti in rerum discrimine vis naturae ullo modo coerceri debeat, — bonum partus exitum magis magisque in dubium vocari, haud difficile videtur esse intellegendum.

Qua de re medicus, nullo alio nisi experientia atque iudicio suo adiutus auxilio, officii gravitate percussus, cum unus tantum casus, qui sub oculis eius evenerit, aut quem tantum ex rumore cognoverit, infelicem habuerit exitum, ex concientia atque fide omnia, quae officium et munus medici expeterent, sese fecisse, solatium percipere non potest.

Itaque medici fiducia fracta, semper in periculo rationis publico reddendae versantes, omni in casu fortunae quasi ludibrium, ad lucida, ut ita dicam, sidera, discipuli in magistros convertentes oculos certas certisque finibus circumscriptas leges postulaverunt.

7) Itaque communes illae atque ab omnibus probatae ortae sunt indicationes, quae usque ad annum 1830 et amplius viguere, quo toto temporis spatio certa accurataque prognosis pelvibus vitiosis data est.

Exempli causa ex clarissimi Buschii libro, quae sequuntur indicationes, mutuabor.

In conjugata interna:

3" — forceps —	conf. ej.	Lehrb.	der	Geb.	p. 484.
$2^{1}/_{4}$-$2^{3}/_{4}$" — perforatio —	conf. ej.	„	„	„	p. 500.
$3^{1}/_{2}$-3" — partus arte praemat.	conf. ej.	„	„	„	p. 428.
$2^{1}/_{2}$" et minus — sectio caes.	conf. ej.	„	„	„	p. 518.

Quas vero indicationes, quamquam essent certissimis accuratissimisque finibus circumscriptae, cum magnus medicorum numerus sui fecisset, atque, quoniam hoc modo ratione publico reddenda liberaretur, summa in felicitate versaretur, iam multi eveniebant casus, qui strictissimam quamque indicationem irritam facerent.

Hoc loco in memoriam revocandum mihi esse videtur, multos eosque habilissimos medicos, talibus accuratis indicationibus fretos, summa spatii coarctatione recognita, omnia iam ad operationem paravisse, cum subito et sine ullo medici auxilio partus optime editus est.

Qua de re conferatur:

Capuron: cours d'accouchemens p. 602.

Baudelocque: l'art des accouchemens I, §. 96 p. 55 sqq.

Boivin: Handbuch der Geburtskunde p. 345 sqq.

Omnes, qui ab auctoribus illis narrantur casus veri et probati, demonstrant, naturae solius viribus partum foetuum viventium maturorumque pelvis coniugata illa interna mensuram 3″ quin etiam 2″ haud excedente, bene esse editum.

Qua rerum condicione oppositio per se ipsa orta est; atque etiam ii, qui minore ardore studioque rem persecuti sunt, iam initio processum, cuius singulae, quae eventum aut bonum faciunt aut malum, partes nec quantitate nec qualitate minima probabilitatis specie prospici possunt, certis circumscribi regulis nolebant, praesertim cum regulae illae insuper ex parva et minime probata experientia vel etiam ex iudicandi quadam levitate ortae essent.

Quae in diiudicandis rebus, ex quibus indicationes illae oriuntur, levitas — at profecto tantum pelves vitiatas illi videbant, — manifesta ac perlucida exstat, cum omnia illa enumeremus, quae gravia, immo gravissima certam prognosin, nisi omnium singularum rerum rationem habeamus, non praebent.

Habent vero in partu difficiliore facto vim: Ipsa pelvis; itaque cum omnia illa, quae circuitum constituunt pelvis ossa, tum viscera, qualia in partu appareant, inprimis uterus, cuius vim et perseverantiam maxime variam esse scimus; — graviditas, quamdiu duraverit et quemadmodum totum per processum sese habuerit; — placenta, qualis sit, quaeque sit ueis insertio; — liquor amnii et ovi velamenta; — totius

mulieris quale sit corpus qualisque animus; — partus ipse quemadmodum inceperit et progressus sit, atque qualibus plurimis eisque inopinatis rebus complicatum iri possit.

Quarum rerum maximam gravissimamque partem animo perscrutanti facillime elabi posse apparet.

Cum insuper cognitum habeamus, singulas illas res nisi ratione earum comparata momenti non esse, atque vitium vitio saepe corrigi, damnum damno tolli, sententias a Kiliano clarissimo prolatas approbabimus.

α) Non posse de perniciosa pelvis vitiosae vi prius diiudicari, quam in partu apparuerit.

β) Partum priorem cum praesente medico omnibus artis regulis sit editus, rebus haud mutatis, sequenti certiorem pro rata parte praebere prognosin, cum omnia fere, quae priore in partu apparuerint, soleant iterari.

Addamus id, quod saepe a Kiliano nobis demonstratum est, sese, quamquam summa amplissimaque experientia eo pervenisset, ut ex levioribus pelvis vitiis plerumque nihtl timeret atque pro his sententiarum sub α et β memoratarum vi nihil detrahendum essc censeret, eos tamen casus, in quibus diminutio maxima esset, pro talibus accipere, quae absolutam prognosin praeberent et certissimas indicationes postularent.

Unde sequitur, ut de certis pelvium vitiatarum generibus certae regulae proferri nequeant, sed ut unus quisque casus singularem prognosin singularemque praebeat indicationem.

Cognituris vero, quae partibus, mechanice difficilioribus factis, immineant pericula, brevi dicendum est, ex mechanicis difficultatibus facillime et saepissime dynamicas aeque graves oriri, et utrasque, etiam si spatium pelvis non valde dimminutum sit, cum coniungantur, vim maxime perniciosam adducere posse.

Iam matri timenda sunt:

Tum vulnera directa, rupturae, contusiones, inflammationes, gaugraena, suppurationes omnium partium mollium — uteri,

vaginae, vesicae urinariae, urethrae, intestini recti; — tum vires summopere exhaustae, maximae puerperii perturbationes, metritis etc.

Infanti autem timendum est:

Circulatio sanguinis oppressa atque impedita — congestio ad cerebrum pulmones cor; — asphyxia, mors; — inpressiones, fracturae, fissurae ossium etc.

Quae pericula, ut leniamus vel etiam amoveamus, ars medicorum, qui operam parturientibus ferunt, duas nobis suppeditat rationes; quarum prima, physiologicum adiuvando processum, spontanea ut efficiatur exclusio, nitamur; altera ut haec exclusio praematura, quod attinet ad graviditatis tempus, vel pro naturalibus maternae 'constitutionis viribus impossibilis facta, vi nec non arte efficiatur sive naturali sive nova arte facta via.

Primae illius rationis medicamina partim sic dicta proprie medicamentosa sunt: acida, salina, secale cornutum, borax, tartarus stibiatus, ipecahuna, opium, chloroformium, nervina excitantia, styptica; partim balnea, fomenta, denique omnia quae dicuntur diaetetica et prophylactica: tonica, ferrum, venae sectio etc.

Miram quandam rationem lubet hic referri, cum methodi cibi abstinendi una cum praebendis salinis etc. mentionem faciamus.

Qua in re ab rectissima sententia profecti sunt, ut, cum in prognosi facienda magnitudo foetus et pelvis amplitudo inter sese comparatae, atque imprimis facilis ossium capitis intercalatio, quae cum gracilitati quadam foetalis corporis coniuncta esse videtur, maxime valerent, iam therapeutica et diaetetica methodo, fructus ut gracillimus et parvulus fieret, summopere studerent.

Qua de methodo hic diiudicari non potest.

Medicamina secundae rationis: Abortus artificialis, partus arte praematurus, forceps, cephalotripsis, sectio caesarea.

Iam prioris illius rationis medicamina multa eaque efficacia esse intellegimus. Quae in observationum nostrarum aliqua felici cum eventu adhibita cognoscemus. In eadem occasione simul experiemur, omnibus prioris rationis remediis exhaustis indicationem remediorum secundae rationis adhibendorum prodiisse, cui indicationi forcipe obeditum est.

Iam vero nihil aliud quam ut declaremus, restat, observationem illam titulo inscriptam ad pelvem pertinere, quae regulas, supra laudatas veras esse atque singularem tantum diminutionem omniaque, quae in partu oriuntur gravia ac difficilia, partum quoque ipsum permittere, ut prognosin veram, qualis esse debet, proponamus, praeclarissime nobis ostendit.

Pelvis ubique iusto minor.

Iam Luchini a Spiessenhoff, Thierry, Ioerdens, Deleurye hanc pelvis formam cognoscebant, quos Roederer, Baudelocque, J. Burns secuti sunt.

Sed Steinii illi primi accuratissime descripserunt.

Tum Kilianus et Naegelius secuti sunt plane inter se consentientes.

Denique F. A. M. Fr. v. Rittgen anno 1853 de hac pelvi scripsit.

Nostris temporibus Kiliano clarissimo praeeunte ad eas spectant pelves, quarum singula spatia, et diametri apparent diminuta, atque ita ut, cum diminutio ubique sit aperta, tum maxime sub inferiorem pelvis minoris partem pro rata parte maior sane existens, maioris graviorisque fiat momenti. Qua re vulgare illud cognomentum ‘pelvis *aequabiliter* iusto minor’, ab Kiliano nostro in ‘pelvis *ubique* iusto minor’ mutatum est.

Excepta iam pelvi ubique iusto minore rachitica*) de ipsa pelvis ubique iusto minoris proprie sic dictae genesi haud multum dicere possumus.

Reperitur enim et in mulieribus, quibus forma perfecta, corpus magnum, et in personis diminutioris corporis atque gracilioris. Sed apud illas pelvis, si abstrahis ab eo, quod

---

*) Commemorari certe non opus est, hoc loco non pelvem proprie sic dictam rachiticam, quaeque omnia illius pelvis signa prae se ferat manifesta — sed talem pelvem, quam apud illas quidem mulieres, quae prima aetate, rachitica morbo haud diu — usque ad pubertatem — perdurante affectae essent, inveniri mox demonstrabimus, in animo nos habere.

parva est, formam, texturam, consistentiam omniaque perfectae muliebris pelvis signa habet; cum in his ratio quidem diametrorum singulorumque pelvis spatiorum, forma arcus ossium pubis modusque singulorum pelvis ossium coniunctionis typum maturae muliebris pelvis adaequent, ossa autem pro ampletudine densitate volumine pelvis infantium signa praebeant.

Quae cum ita sint, non alienum est cogitare, auctum incrementumque ossium, quae pelvem constituunt, esse prohibitum; cum, ceteris corporis ossibus plane atque opulentia quadam crescentibus, solius pelvis cessetur incrementum, vel omnium, quae constituunt compagem ossium incrementum quominus progrediatur, impeditum sit.

In his vero semper animo tenendum est, pelvem ubique iusto minorem signa muliebris rite perfectae pelvis prae se ferre et maiore diametrorum et obliquorum et transversorum dimensione, modo rationeque ossium articulationis, tota denique configuratione sua facillime et exactissime ab infantium nec non ab virorum pelvis forma differre.

Modum rationemque genesis pelvis ubique iusto minoris *rachiticae* ex Kiliani verbis proferemus:

„Rachitis morbus infantium est; raro pubertatem transgreditur. Notum est trunci ossi sacro impositi pondus maximi esse momenti.

Unde pondus illud trunci, cum in virgine pubera ossi sacro, quod morbo per multos iam annos corpori inhaerenti rachitico valde sit emollitum, impositum sit veram illam pelvis rachiticae formam —: vertebram sacralem I praecipitem, columnae vertebrarum scoliosin atque lordosin, arcus ossium pubis complanationem et dilatationem etc. — efficiat necesse est. Levioris autem puerilis trunci pondus, pelvi minus emollitae impositum haud graves mutationes, rara quasi maximae illius deformationis signa, afferre posse facillime apparet.

Accedit mirabilis profecto vis musculorum paullatim sensimque vigentium, quibus haud raro deformationes illae com-

pensantur, atque tanto facilius, quanto minus deformitates in lucem prodierant.

Etiamsi configuratio pelvis rite perfectae quam maxime conservetur, tamen cum in ipsa tum tota compage ossium signa infantiae et impubertatis —: erethicam illam, quae dicitur, rachiticam formam — inveniemus; quae signa, cum alias sint certissima, in pubertate tamen, praecipue apud personas rachiticio morbo affectas quodammodo modificantur."

Praeterea pelvis ubique iusto minor sive re vera est, sive ea, quae dicitur rachitica, formam habet plerumque pelvis cordatam obtusam.

Denique quod attinet ad spatii diminutionem, diametrus coniugata nunquam mensura maiore 1'' diminuitur; atque quidem pelvis ubique iusto minor rachitica summam illam plerumque assequitur diminutionem, etiamque saepissime invenitur.

Diagnosis vero cognoscitur ex exploratione externa et interna; illa minorem pelvis circuitum, minorem quoque eius altitudinem, coniugatam externam ab 6''—7'' variantem praebet; haec pelvis omnibus in regionibus spatia demonstrat diminuta.

Diagnosis differentialis pelvem inter rachiticam et halistereticam omnino est facillima, ut hoc loco non sit commemoranda.

Maximi certe momenti est anamnaesis, ex qua et qualis sit pelvis et diagnosisne sit rata, cognoscitur.

Cui addendum, in pelvibus ubique iusto minoribus, cum pleraeque earum pelviam typo, quae sunt forma cordata obtusa, adnumerandae sint, facillime rotationes capitis horizontales (seitliche) effici; unde apparet, ubi illa pelvis forma ex exploratione cognita sit, ubique, capite minime progrediente, rotatio capitis horizontalis plane desit, caputque eodem modo in exitu pelvis, quale fuerit in introitu, appareat, semper pelvem ubique iusto minorem esse concludi posse. Qua in re magni quoque est momenti, difficultates in partu semper augeri

Praeterea plerique partus pelvibus ubique iusto minoribus sine ullo impedimento eduntur.

Nihilominus haec, quae iam commemoravimus, spectanda sunt.

I. Comparatio ratioque foetum inter et pelvem.

Capitis enim parvitas, exempli causa, pericula, quae ex pelvi ubique iusto minore i. e. ex diminutione singulorum eius spatiorum oriuntur, removere potest.

II. Quo tempore partus edatur i. e. utrum sit foetus maturus an immaturus.

Atque apud plerasque gravidas mulieres foetus haud diutius in utero remanere videntur, quoad pelvi sine impedimento edi possint.

III. Partus prior, cui ceteris paribus hic, qui sequitur, certissime similis futurus sit.

Pericula autem, quae vitiosa hac pelvi adducuntur vel potius adduci possunt, haec sunt:

Cuius vis cum in graviditate certe periculosa apparitura non sit, in partu ipso sine dubio periculosissima fieri potest. Cuius rei causa est, quod mechanicae, quae dicuntur, difficultates cum in omnibus pelvis spatiis appareant, tum maxime in exitu pelvis summopere crescant; quod tanto maioris est momenti, quanto vires tum quidem, cum maxima earum copia opus sit, defectae et exhaustae sint. Dolores non solum minuuntur, sed vertuntur, opprimuntur vel etiam sistuntur.

Propulsa nempe pars foetus, sive caput sive nates, statim incuneatur nec minus uteri pars inferior interclusa inter eam et pelvem ad contractiones spasticas irritatur atque dilatatio oris orificii uteri externi impeditur doloresque initio secundi atque salubres in spasticos dolores mutantur. Quin etiam si pars foetus, quae est obiecta, in inferiorem pelvis

partem delapsa sit, facillime formidolosa illa paragomphosis accedit, in qua caput summa vi in pelvis canalem impacta comprimendo partes molles, dolores infirmiores, quin etiam uteri vim plane debilem reddat, retentionem faecium et urinae obstinatam faciat, atque quominus sanguis per magna illa vasa in cavo pelvis sita feratur, impediat, quo turbulentae illae in caput atque pectus congestiones, denique talia gravia pericula matri foetuique adducantur, ut medici haud dubitanter cruentissimis et gravissimis remediis, ut auxilium atque salutem afferrent, usi sint.

Qua rerum expositione facile apparet, pericula tali in casu in immensum augeri, cum caput scilicet corpus foetus permagnum, et dolores debiles aut spastici difficilem iam partum maioribus etiam difficultatibus ultro afficiant; cum contra foetus pro rata parte parvus, dolores continue boni atque, ut afferam, exigua pelvis inclinatio difficultates et pericula diminutionis vel gravioris leniant et amoveant.

Cum, quae ad therapiam talis difficilioris casus pertinent, in partus, quem enarrabimus, expositionem relegemus, paucis verbis operationes attingimus, quae qualesque in pelvibus, quarum spatia sunt diminuta, adhibita sint.

I. Partus arte praematurus.

Cuius indicatio exhibita est:

a) in diametro coniugata mensurae 3″—3½″ tum solum, cum partus prior atque validum foetus incrementum opinatum, poscant.

b) Sine exeeptione in diametro mensurae 2½″—3″, sive primipara sive multipara mulier.

II. Forceps.

Tum tantum adhiberi potest, si caput in introitum pelvis pervenerit, atque indicatio non est, nisi in adhibenda ea pro matre atque infante pericula non timenda sunt, id est, cum spatiorum pelvis diminutio, fore, ut foetus per pelvis canalem perduci possit, in spem nos adducat.

III. Perforatio (cephalotripsis.)

Indicatio est:

Si diminutio talis est, ut foetus pars, postquam in pelvis introitum pervenit, neque doloribus neque forcipe cum vi quadam adhibita progrediatur — sine dubio in vera paragomphosi, — perforatio facienda est.

Quae duae indicationes nisi foetu mortuo statuendae non sunt.

Sequatur nunc partus expositio, quam promisimus.

Die XV mensis Februarii 1859 Anna Grümer Waldbrohliensis, ut in parturiendo auxilium ei feram, mihi tradita est. Quae XXIV annos nata mensura ad altidudinem 4′, innupta, primipara. Iam prima ab pueritia parentibus orbata, consanguineis carens, angustissimis in rebus adulta usque ad hunc diem prosperrima valetudine usa est.

Graviditatis processus nulla re impeditus aut turbatus est Medio Maio anni praeteriti concepisse vult, primos infantis motus medio Decembre sensit. Patrem infantis futuri robusto atque quadrato corpore virum atque insigni capitis magnitudine fuisse retulit.

Color gravidae feminae vigens, crinis niger, corporis forma perfecta atque illius gracilitatis, quae erethici formae rachitidis propria est; corporis motus mobiles, pernices, celeres.

Exploratio statim facta mammas bene formatas, uberes, turgidulas, regiones lumbales teretes atque rotundas, ventrem valde prominentem, fundum uteri in regione umbilicali demonstravit. Pars foetus non cognoscenda; digito inmisso vagina rugosa, humida et succulenta apparuit, orificium uteri externum facile attingi potuit atque rotunda forma, ore parvo,

labiis modice densis; portio vaginalis diminuta atque in parte, superiore aucta fuit.

Supra ossa pubis foetus vacillans atque cum quadam veritatis specie caput cognoscitur. Digitus cum vi quadam intromissus attingit ipsum promontorium (coni. mensurae 3″-3¹/₄″). Forma introitus pelvis est cordatae obtusae. Singula pelvis spatia usque ad pelvis exitum diminuta esse, haud procul dubio est.

Diagnosis certa: Ultimus graviditatis mensis, — coniugata interna mensuram 3″ minimo egrediens; pelvis ubique iusto minor. Cum sine ulla dubitatione casus maximi sit momenti, indicationes, qnae oriri possint, maximam curam ac diligentiam exigunt.

Coniugata interna mensurae 3″, gravida nondum enixa erat, caput foetus ut ex momentis aetiologicis exspectari poterat, permagnum, haud minus intercalatio, quae fieri possit ossium capitis, parva.

Quo in casu, quin partus arte praematurus indicatus sit, dubitari non potuit. Sed tempus, quo operatio illa prosperum utilemque exitum habuisset, iam praeteritum erat, quippe cum hebdomas XXXVI. graviditatis adesset.

Qua de re nihil aliud reliquum erat, quam exspectatio futuri atque spes fore ut, sicut in aliis haud dissimilibus casibus, ita hoc quoque in casu secundus evaderet exitus. Sed, ut omnibus apparet, ad maxima pericula compararemus nos, necesse erat. Qua in rerum statu praesertim omnia quae, quominus partus impedite ac feliciter edatur, prohibere possent, summa cum diligentia et cura vitanda erant.

Itaque gravidae mulieri, quo in rerum discrimine versaretur, quaeque diaetetica essent praecepta necessaria, aperiebatur. Qua in re tali usi sumus fortuna, ut animus ac spes felicis eventus eam non deficerent.

Quae, quamquam ut maxime nostra ex optatione essent, tamen facile fatalem habere potuissent exitum. Sive gravida

illa mulier periculo, in quo versabatur, nobis adducta, consolationibus nostris animum hilariorem et quasi superbiorem assumpsit, sive natura ipsa suoque ingenio impulsa est, — in incerto relicto, id quidem constat, eam simulatque advenerit, totum per diem circumvagatam esse neque ulla re, quae periculum ipsi afferre posset, sese abstinuisse. Quanquam saepissime eam adhortationibus aggressi essemus, ipsaque saepisime paenitentia afflicta esset, nihilominus in vetus relabebatur vitium. Praeterea gracilis atque parvula illa persona mira quadam voracitate erat; praeter superfluentes ciborum portiones, quae in instituto illo clinico dabantur, quoquo modo alia insuper victualia sibi parare meditata est. Quae omnia non periculosa esse non potuerunt. Die lunae XV. Martis ex perfrictione, quam sibi negligentia et levitate conscivit, gravissimo uteri morbo rheumatico afflicta est, qui cum ventriculi catarrho ingurgitando adducto coniunctus erat.

Somnum, quies, ciborum abstinentia, quae hic sola indicata esse potuerunt, atque vomitus spontaneus symptomata illa praedicta nequaquam minuere.

Itaque, cum graviditas paulatim ad finem perduceretur, partum ipsum exspectabamus.

Die **Veneris,** 19, Martis mane accedunt dolores lumbales, qui facile dolores praesagientes accipi possunt. Ut omnia sint parata, clysmata nonnulla brevibus temporis spatiis applicantur, atque, ut diaphoresis servetur, pulvis Doveri mandatus.

Sub vesperum pulveres Doveri iterum dati, nnnc vero ex Kiliani praeceptis:

R.: Opii gr. 1/2;
Ipecah. gr. 1/4;
Morphii acetici gr. 1/10;
sacchari ʒ j.

Optime quiescebat.

Die Saturni mane continui dolores oriuntur. Magna gravidae mulieris inquies manifesta. Sub meridiem fastidium,

vehemens turgescentia in superius, quae indicant remedium emeticum; datur ex tartaro stibiat. et Ipecah.

Mox gravida mulier copiese evomit, quo sublevabatur

Breve post tempus dolores in cruce apparent, qui in femora irradiant. Sub vesperum hi, nunc recti verique dolores, intervallis horae dimidiae existunt.

Nunc demum partes molles prospere praeparantur. Antequam somnum capiat, duae doses Morphii acetici brevi intervallo dantur.

Die Solis mulier gravida non quievit atque continue dolores vagantes sensit; animum tamen non demisit; os uteri externi paullulum dilatum est; portio vaginalis succulentior.

Totum per diem nullus fere progressus. In utero atque regione lumbali dolores tantopere augentur, ut vix ferri possint Frictiones cum chloroformio maximae sunt utilitatis. Sub noctem rursus tres doses Morphii praebentur, sed somnum non adducunt.

Die Lunae mane sub horam VII. exploratio adhibita orificium ut. ext, excepto labio anteriore, paene consumptum praebuit, caput, nondum in pelvis introitum ingressum, sed immobile super eo situm, velamentum ovi dirrepturum demonstrat. Breve post intervallum effluit aliquantum liquoris amnii. Os orificii transverse apertum, dilatabile, denuo contractum usque ad magnitudinem denarii borussici (10groschenstück), caput transverse positum. Per serosum oedema fortis quaedam, ut videtur, intercalatio ossium capitis sentitur.

Parvus fons capitis foetus ad sinistrum pelvis latus vergens tangitur; situs ossis occipitis est primus.

Usque ad meridiem dolores tum, quod pertinet ad intervalla, tum quod ad vim, irregulares. Capitis situs paululum mutatus *videtur*. Mox exoriuntur dolores spastici, qui variis in partibus sentiuntur. Os orificii spatice contractum conspicitur. Parturiens magnopere irritata vix inter lectum contineri potest. Omni vi partum confectum esse vult; optimo vero

cum successu applicatur balneum plenum per horam dimidiam. Gravida quieta somnum capere posse videtur. Partum tandem editum iri exspectamus. At tota hora praeterlapsa maximi spastici denuo exoriuntur dolores. Urinae aliquantum effluit. Per immissum vero catheterem paululae tantum guttae eliciuntur. Albumen in ea non reperitur. Nullum fere auxilium. musculis huius organi tam vehementer contractis, afferri potest Iam prodeunt graves illi motus, qui nostra vernacula lingua dicuntur (Reflexbewegungen); apparent leves illi atque repentini partium membrorum extremarum spasmi. Semper adhuc caput in pelvis introitu tangitur.

Spes falsa nos eluserat, situ foetus nequaquam mutato planeque inmobili. Magis magisque parturientis animi habitus metu nos afficit. Nos ipsi repentinum auxilium instrumentis allatum ab magistro nostro exspectamus. Maximum, si cunctaretur, in discrimen vitam parturientis vocari persuasum nobis habemus. Fessi ipsi exspectando vigiliis, atque animi commotione fatigati unum tantum exitum quam maxime atque celerrime ad malum vergentem videmus. Ultimi tamen discriminis tempus nondum adventarat. Hora quinta vesperi parturiens adhuc in balneo pleno per dimidiae horae spatium est. Deinde 10 gr. pulv. Doveri (pharmc. bor.) ei dantur; quibus rebus mulier perturbata antea atque irritata tandem aliquando quieta fit. Fastidium et magna diaphoresis remedia successum optatum habuisse demonstrant. Os orif. magis magisque mollius fit excepto labio anteriore.

Haud difficile aliquantum dilatari potest. Qui effectus ut servetur et augeatur, genitalibus insessus et lintea calida applicantur. Praeterea:

R: Infus. radic. Ipecah. (gr. XV) ℥ VI
Natri borac. ʒ III
Syrup. sacchari ℥ I.
M. D. S. ½stündlich 1 Esslöffel.

Dolores meliores fiunt; labium anterius succulentum et

tenue; ictus cordis foetus (cc. 120 per sexagesimam horae partem) in synostosi pub. iliac. dextra audiri potest. Animus nobis redintegratur, admiramur magistrum peritissimum et scientissimum, qui tanto in rerum discrimine atque angustiis animo infracto arti obstetriciae celeberrimum quasi triumphum parare studuit.

Proh dolor! nondum in capite, cuius situm supra descripsimus, motionem aliquam sentimus. Pro dolor! Magnitudo ossium vim actionemque partium mollium aufert et delet. Rapide parturientem vires deficiunt. Dolores infirmiores debilioresque factos invicèm succedunt dolores spastici.

Os orificii contrahitur; prior rerum status redit. Sed quantopere facies mutata est! corporis vires exhaustae, vigor ac vis extincta. Cordis palpitio nunc accelerata, nunc retardata est, spiritum trahere atque remittere parturientem vix crederes, nisi interdum thorax cum vi atque vehementia percussum magnorum illam laborum dolorumque perpessionem indicaret, faciemque pacis perniciosae perturbaret. Pulsus venarum est celer, saltans atque parvus; partes membrorum extremae frigidae et languore quodam affectae, connexus membrorum quasi solutus. Cutis, antea rubra, calida atque revera vaporarea, fit lurida, frigida atque humide frigido sudore tecta. Oculi alias acres atque auxilium salutemque a nobis exposcentes, languidi et immoti. Parturiens sensuum defectione atque torpore corripitur.

Sed praesto sunt omnia excitantia, remedia olentia, qualia sunt camphora, moschus, alia. Praeterea irrigatio in partes internas alias tam efficax atque venarum sectio. *)

Obruebat nos angor, ne paenitentia, quasi officio non

---

*) Haud fere ullus reperietur, qui perspectis, quae memoravimus, talem proponat indicationem, quippe cum quodque remedium exitium tantum acceleraverit; optimum excitans tali in casu partus est, qui statim arte edatur.

plane functi essemus, postea nos accederet. Sed hercle! ars triumphum exegit. Cuius princeps vitam quasi reluctantem valida manu retinuit. Remedium praesto; iusto tempore allatum auxilium fert.

Vesperi hora nona totam adhuc horam exspectamus. Spontanea enim dilatatio orificii uteri externi optatur, cum contractiones spasticae, ne in dilatatione manu facienda prodeant, metum curamque faciant. Frustra! Parturiens chloroformio dato insopita est. Tum magister peritissime forcipem applicat, cum pulsus cordis foetus facile auribus adhuc percipi possit. ($10^1/_4$ hora). Forceps optime inmissa est. Iam initio felicis momenti est, os orificii dilatari. Hac ex parte nulla complicatio. Erigimus nos et spes animos nostros intrat fore, ut parturiens servetur atque foetus vivus ad lucem prodeat. Primae tractiones sunt effectae et iterum iterumque repetitae. Maxima vi nitimur — sed caput nequaquam movetur. Tum mihi concessum est, ut fortunam meam experiar pericliterque. Maxima cum diligentia atque cura vehementissimae tractiones per viginti sexagesimas horae partes infecta re temptatae sunt, cum vires me deficere iam incipiunt. Sed cum mulieri opem afferrem valde optarem cumque paene haud procul dubio esset, cephalotripsin vitatum iri non posse, omnibus viribus enisus tractione vehementissima bis repetita, *fragore, qui auribus percipi posset, atque quassatione, quam in lacertis meis sentirem, caput recedere atque moveri amimadvertebam.*

Nec, ut exploratio demonstravit, spes nos fefellit. Refecto igitur ac renovato studio aucta etiam, quantum potuit, diligentia ac cura tractiones repetuntur. Profecto! *difficultates in iis non sunt minutae.*

Postquam iterum iterumque fragorem illum sane quidem iam mali ominis signum, audiveram et senseram, tandem aliquando tractiones facilius adhibentur. Breve post temporis intervallum caput in perineo insidebat. Hora fere tota prae-

terita, ex quo tractiones primae adhibitae sunt, foetus vivens in lucem prodit, (hora 11 1/2). Narcosis maxime fuit probanda. Capite adiuvante forcipe in pelvis exitum iam ingresso parturiens ex somno excitata est. Paucis verbis rerum statum ei apperimus. Sensus plane redierant, pulsus venarum levatus, cutis calida, turgescens, spiritus non impeditus erat.

Post intervallum dimidiae horae dosibus duabus, ut tali in casu mos institutumque est, morphii (1 1/4 gr.) datis in lectum translata somno usque in posterum diem fructa est.

Genitalia exteriora valde tumida facta erant, signaque vehementioris metritidis apparebant. Fomenta, derivantia neque multo post ad diaphoresin adiuvandam Ipecah. et tartar. (dosi refracta) data effecerunt, ut reconvalesceret et vires novas sumeret.

Quamquam partus maximam partem feliciter processisset, tamen morphio opus fuit.

Hebdomadibus circa quatuor praeteritis *Gruemer* valida atque plane refecta domum redire poterat.

Infans vivebat, sed tantum dimidiam horam, cum spiritum ex parte tantum trahere atque remittere posset.

Frontis os dexterum fissuram habuit, quae media ex orbita sursum versus ascendit. Os temporale et tuber parietale alterius partis, quo forceps apprehendebat, contusa erant. Quibus ex regionibus multifariae fissurae hinc inde exibant.

Forceps cephalotripsin adduxerat. Intercalatio initio memorata, modice apparuit. Ossa crassa, spissa duraque erant, quod ex eorum fragmentis conspici potuit.

Quod casum hunc effusius atque altius narravismus atque explanavimus, studio nostro atque ardori ignoscatur.

In adhibend a forcipe diu erat cunctatum; quod mirum videri non debet, cum quanto magis caput pelvis introitui sese accomodaverit aptaveritque, tanto facilius omnia expediri potuerint. Praeterea, quo melius partus ederetur, et imprimis, quo forceps inmitti posset, cum maxime optandum tum necesse

erat, orificium uteri externum, quod adhuc spastice contractum erat, inter partum retardatum dilatari, omnes denique partes molles plane praeparari posse.

Foetus vivus in lucem editus est. Inter partum ictus cordis semper auribus percipi potuit. Qua de causa perforationem fieri non cogitandum fuit; sectio caesarea, quia caput foetus iam in pelvis introitum ingressum atque inpactum fuit, in usum venire non potuit.

Quae cum ita fuissent, nihil aliud reliquum erat, quam ut occasionem faustissimam opperiremur.

Cuius vero occasionis, quando exsti erit, cognitio cum tota planeque arbitrio magistri nostri clarissimi atque illustrissimi permissa fuerit, tota nostra rerum expositione cognitionem illam rite, bene apteque factam esse demonstrari atque comprobari credimus.

Magnitudinis vero ossium rationem comparatam maximi esse momenti, nemini non apparebit. Caput enim maxima cum vi in pelvis introitum impactum per duorum dierum spatium ne lineolam quidem promoveri potuit.

Iam cum ut forcipi, quae ossa contuserat, obsequeretur, factum esset, singulis stractionibus difficultates auctae sunt. Faustissima quaque tractione ossa contundebantur, donec diametrorum diminutio effecit, ut facile in pelvis exitum posset pervenire.

A posteriori apparet, cum ossa capitis, dum in pelvem deducerentur, magis magisque frangerentur, pelvem illam cum omnibus in partibus tum maxime in inferiore parte coarctatam fuisse.

Denique nihil aliud iam restat, quam ut inquiramus, utrum fractio ossium capitis forcipe sit adducta, an potius pelvis lateribus vel eius diminutione et coarctatione. Sane quidem plerique virorum peritorum primo obtutu illa, quae primo loco attuli, i. e. cephalotripsin, forcipe adductam esse, vera esse censebunt. Me autem, qui forcipem direxit, omnino negare

id atque abnuere oportet. Si quidem eo adduci possim, ut credam, primam fractionem vehementia tractionis a me adhibitae vel potius tractionum vehementium pressu ac impetu, quem in forcipis manubrium detulerunt, adductam esse, certe omnibus ceteris in fractionibus omni culpa vacans carensque sum.

Forceps, ut caput descendat atque degrediatur, cogit; pelvis latera id comprimunt franguntque.

Quae res cum plane sit mechanica, in communi vitae consuetudine multas comparationes proportionesve vel, ut ita dicam, analogias habet.

VITA.

Natus sum *Rudolfus Flehinghaus* Guestfaliae in pago Sprockhoevel die VII. mensis Aprili anno MDCCCXXXIV, patre *Carolo Flehinghaus*, quem iam puero mihi morte ereptum valde lugeo, matre *Carolina* e gente *Schmidt*, quam adhuc superstitem veneror.

Fidem confiteor evangelicam.

Quindecim annos natus Gymnasium Herefordiense adii, quod autumnali tempore MDCCCLIV testimonio maturitatis instructus reliqui, ut ad almam litterarum sedem Gryphiae migrarem artique medicae me traderem.

A rectore magnifico *Beseler* in civium academicorum numerum receptus apud *Sig. Schultze* t. t. decanum spectatissimum nomen professus sum.

Duobus semestribus ibi peractis, hanc almam litt. sedem Bonnensem adii; a rectore magnifico *Deiters* in civium academicorum numerum receptus apud *Wutzer* decanum spectatissimum nomen dedi.

Hac in universitate et Gryphiae viros audivi illustrissimos docentes de philosophicis rebus:

Gryphiae: *a Feilitzsch*, *Hünefeld*, *Münter*, *Stiedenroth;*
Bonnae: *Baumert*, *Caspary*, *Nöggerath*, *Treviranus*, *Troschel.*

De medicis audivi:

Gryphiae: *Haeser, Schultze;*

Bonnae: *Albers, Boecker, Busch, Helmholtz, Kilian Naumann, C. O. Weber, M. J. Weber, Wutzer.*

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam maximas semperque habebo.

THESES.

1) *Rigor emortualis certissimum mortis signum.*

2) *In morbis externis anamnesin negligere non licet.*

3) *Dignatio clinica tumorum saepenumero alia est, quam microscopica.*

4) *Partus immaturus et partus praematurus infaustioris ominis sunt, quam partus maturus.*